

C O N C I O IX.

DE LAPSV, ET RESIPISCENTIA PETRI, EX
*textu Matth. 26. à v. 69. ad finem cap. Marc. 14. à v. 66. ad finem
 cap. Luc. 22. à v. 54. ad 63. Io. 18. à v. 15. &c.*

DVo in his verbis pertractantur.

I. Describitur tristis lapsus Petri ter Christum Magistrū suum abnegantis.

II. Indicantur media, per quę de lapsu suo commonefactus, & ex eodem rursus est erectus.

Lapsus Petri in se grauiſſimus est, neq; vt quidā ex Patrib. attentarunt, excusationē admittit. Neq; n. (si rem ipsam, qualis in se fuit, inspiciamus) ad sanguinem quærebatur Petrus, vt qui saluum conductū à Christo acceperat, hoc verbo: *Sinite hos abire*, neq; solus ex discipulis in atrio erat: neq; ab ipsis Dominis, & Ecclesiastici Senatus præsidib. sed ab ancilla, tantum, vt videretur, vexandi gratia interrogabatur: neq; semel tantū, & simpliciter, sed tertio, & cum peieratione, & diris, cōtra promissum & conscientiam suā, contraq; admonitionem Christi, negauit, &c.

Petro autem ad grauem hunc lapsum occasionē præbuit;

1. Sua temeritas, & propriarum virium confidentia. Putabat enim se cōtra omnes insultus fortiter restitutum, Christoq; per omnia pericula, etiam ad mortē vsq; constanter adhæsurū. Ideò reliquis fugā salutem quærentib. ipse animo resumpto, in aulam Pōtificis ingreditur, exitū rei expectaturus. Monstrat igitur illi Deus, quid quantūve per se, ope Dei destitutus præstare possit.

2. Consortiū cū impiis, cui imprudēs se miscuit, in magnum suum malū. Sedens. n. inter impios, linguam suā, & totum se ad placitum eorum conformare, & accommodare operam dedit.

3. Nimius metus. Cum .n. aliter quam putaret cū Magistro agi videret, ipse territus, cū fugere nec tuto, nec sine grandi turpitudine posset, ad mendacia, & abnegationem, prudentiā carnis vsus, est delapsus.

N 2